

- Digitalisierte Fassung im Format PDF -

# De plantis hybridis sponte natis.

---

Christian Julius Wilhelm Schiede

Die Digitalisierung dieses Werkes erfolgte im Rahmen des Projektes BioLib ([www.BioLib.de](http://www.BioLib.de)).

Die Bilddateien wurden im Rahmen des Projektes Virtuelle Fachbibliothek Biologie (ViFaBio) durch die [Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg \(Frankfurt am Main\)](#) in das Format PDF überführt, archiviert und zugänglich gemacht.

D E

# PLANTIS HYBRIDIS

SPONTE NATIS



DISSERUIT

Gen. 50

CHR. JUL. GUIL. SCHIEDE,

PH. D.



CASSELLIS CATTORUM,

IN COMMISSIS OFFICINAE KRIEGERIANAE.

---

**TYPIS ORPHANOTROPHEI REFORMATI.**

---

V I R O

SUMMO HONORIS CULTU PROSEQUENDO

*ADOLPHO GOTTSCHED,*

HASSIAE ELECTORI A CONSILIIS BELLICIS,  
ORDINIS LECNIS HASSIACI EQUITI, SOCIETATIS  
WETTERAVICAE MEMBRO HONORARIO,

RERUM NATURALIUM

CULTORI FELICISSIMO,

FAUTORI SUO MAXIME COLENDΟ,

H A S C E P A G E L L A S

G R A T A   P I A Q U E   M E N T E

OFFERT

AUCTOR.

Sedulae observationes, per multas annorum series  
continuandae, et experimenta, caute et sollerter  
instiuentia, perducent nos tandem ad plenam veri-  
tatem, ad quam itaque consequendam omnibus viri-  
bus est enitendum. Gmelin, Sermo acad. de nov.  
veget. exortu. p. 82.

# INTRODUCTIO.

Jam per aliquot annos consilium mecum tuli, quae de plantis hybridis sponte proventis in variis Germaniae Italiaeque regionibus observaverim, publici iuris faciendi; quod jamnunc non sine aliqua sollicitudine peregi. Quanquam enim non desunt botanici, iisque celeberrimi, qui de plantis hybridis arte nactis egregie scripserunt, plurimique et spontaneas provenire haud amplius abnegant: nullus tamen nuperius de hisce speciatim egit. Quae res non levissimi momenti esse mihi videor, quum, si plantas hybridas cum speciebus legitimis commutaveris, sanctissima illa naturae norma, qua formas plantarum intra certos fines includere solet, nimis obscurari videatur.

Itaque haud abs re duxi, si de plantis hybridis sponte proventis, et proprias observationes, et quas viri celeberrimi ac amicissimi mecum

communicaverint, et denique quas in variis botanicorum scriptis relatas invenerim, collectas digererem. Primum autem satisfaciendum est officio gratiarum agendarum iis, qui vel plantis vel observationibus benevole communicatis vel quocunque alio modo faverunt incoepitis nostris. Tum rationem et ordinem, quos in opusculo nostro secuti sumus, brevibus exponamus.

Quod hybridarum plantarum denominacionem attinet, illos secutus sum, qui earum nomen ex coniunctis parentum nominibus composuerunt, ita ut jam exinde a veris speciebus discernantur.

In dispositione earum systematica non parum dissident botanici, quas quum alii alteri parentum tanquam varietates subjunixerint, alii inter species enumerare haud dubitaverint. Quarum utraque methodus, meo saltem judicio, probari nequit. Quamvis enim minime in systematisbus praetereundae sunt, tamen, ut infra demonstrare conabimur, et a speciebus et a varietatibus sedulo distinguendae sunt.

Cuilibet stirpi hybridae diagnosis peculiaris est adaptanda, quae, ubi forma ejus magis sibi conatur, ut in sterilibus caseo videtur, facile

invenitur; ubi vero inter utriusque parentis formas plus minusve vacillat, ut in fertilibus, medium formam exprimere debet. Quales diagnoses saepe justo arctiores esse oportere, facile apparet; sed eidem vitio quis nescit quamcumque etiam specierum paulo variabilium diagnosis esse obnoxiam? Me tamen plantis hybridis in hoc opusculo enumeratis diagnoses non addidisse, nemo vituperabit, qui perpensit, justas plantarum diagnoses nonnisi ex integrorum generum consideratione proficisci posse.

**D**e synonymia quae moneam non habeo. Eo digniores consideratu sunt hybridarum plantarum stationes, quum jam consortium, praecipue in annuis et biennibus, certiores saepe praebeat hybridae progeniei notas. Nam ubi inveniuntur eodem loco duae species satis inter se affines, nihilominus certis characteribus distinctae, et cum iis planta una vel altera, eaque haud raro sterilis, inter utramque ita intermedia, ut aequo iure pro varietate vel utriusque vel ob id ipsum neutrius haberí queat: talia specimina specierum iis associatarum hybridam esse prolem, jam summa probabilitate autem licet. Quae quo saepius sub iisdem con-

ditionibus, nec usquam alias, revertuntur, eo similius vero fit, esse hybridae. Ex quibus patet, qua diligentia et accuratione opus est in stationibus plantarum hybridarum indicandis.

Haud minorem diligentiam adhibui in describendis hybridis; nec botanicos offensurum esse arbitror, me hic descriptionibus comparativis usum esse, solito quidem longioribus, sed in hujuscemodi argumento maxime si quid video necessariis.

Huic parti descriptivae praemittenda visa est pars historica, qua, quae hucusque de plantis hybridis, non solum sponte natis, sed etiam arte productis, et observarint et existimarint botanici, recensui. Paucissimas denique addidi propositiones ex hybridis sponte observatis collectas, quum quamvis appareat, physiologiam quondam non parum emolumenti ex plantarum hybridarum sponte cretarum observationibus nacturam esse; meliores tamen observationes nondum ita multiplicatae sint, ut leges universales inde derivare auderem.

# SCRIPTORUM DE GENERATIONE PLAN- TARUM HYBRIDA PER- LUSTRATIO.

Historia hybridarum plantarum generationis cum doctrina de sexu arcte cohaeret. Anteaquam sexus plantarum innotuerit, hybridam earum generationem observari nequissimum per se intelligitur.

R. J. Camerarius, botanicorum, qui de plantarum sexu dilucide disseruerunt, primus, in celeberrima sua epistola <sup>1)</sup>), quanquam non nisi plantarum cum animalibus analogia inductus, jam anno 1694 quaerit: an et quam mutatus inde prodeat foetus, si femella vegetabilis imprægnari possit a masculo diversæ speciei?

<sup>1)</sup> J. G. Gmelin sermo de novorum vegetabilium exortu; cui adnexa est Camerarii de sexu plantarum epistola. Tübinger, 1749.

(l. c. p. 143). Hic itaque procul dubio primus fuit, qui de hac re egit.

Linnaeus in dissertatione de Peloria <sup>2)</sup> anno 1744 jam non de generatione plantarum hybrida dubitat, et eam experientia in Tulipis doceri dicit, quum si flores a diversi coloris flore foecundati sint, semina ex his generata flores produxerint versicolores. Brassicam pariter eamque albissimam semina saepe generare Brassicae coeruleae vulgatissimae, quod accideret, si haec in vicinia illius ea florescente crevisset (l. c. p. 70).

J. G. Gmelin in sermone supra citato anno 1749 Tuliparum exemplo aliam experientiam adjungit de Delphiniis duobus Sibericis, e quorum seminibus aliae tres satis distinctae formae progerminassent, quas e mutua illarum foecundatione, quae in vicinia plantatae essent, ortas putat (l. c. p. 80).

Fusius hanc rem Linnaeus anno 1751 in dissertatione de plantis hybridis <sup>3)</sup> tractavit. Etsi negari nequeat, hanc disquisitionem multo minus observationibus fundatam esse, quam

<sup>2)</sup> Amoenit. acad. Vol. 1. p. 55. ed. Schreberi.

conjecturis, tamen auctoris ingenium eo luculentius exinde patet, quod hae conjecturae pro parte seniori tempore experimentis certissimis confirmatae sunt.

Paucis de generatione corporum organicorum praemissis, de animalibus hybridis, quae ex antiquis inde temporibus extra omnem dubitationis aleam posita sint, nonnulla facit verba, jamque ad plantas procedit. In quarum formas solum et aërem maximi esse momenti, neminem fugere. Plantas itaque, notis characteristicis carentes, varietatum nomine speciebus subordinasse; nonnullas autem subvenire, quae ita medium inter duas species teneant, ut incertum sit, cuinam adnumerentur. Plantam igitur inter duas species ambigentem, praesertim si in earum consortio proveniret, nec antea observata esset, hybridam merito putari. Nimis arbitrarie autem, ut mihi videtur, hybridae progeniei eam putat matrem, quae quoad fructificationem cum ea convenit, patrem autem, cui foliis et habitu similis est. Hisce generalioribus absolutis plantas hybridas opinatas generatim dispescit in 1. Bigeneres, ex diversis genibus autem a Congeneres ex diversis specie-

bus ejusdem generis; 3. Deformatas, odore et crispatura; 4. Obscuras, ubi parens difficile affingatur.

Hybridarum bigenerum non minus 17 indicat, quarum una, sin vera, maxime memorabilis. Est autem Veronica spuria, Upsaliae in horto academico anno 1750 primum orta, tabulaque 2. l. c. expressa. Matrem hujus plantae putat Veronicam maritimatam, patrem Verbenam officinalem. Et hanc et illam uno pulvillo et haud longe a se invicem crevisse affirmat, neque longe ab his lectam esse hybridam, antea nulli botanico visam. Floruisse quidem omni anno felicissime et viviradicibus facillime immutatam multiplicasse, nulos vero fructus maturasse. An merito haec planta pro ambigena habeatur, ego non dijudicare audeo; posterisque experimentis discernendum relinquo, quum affinitas opinatorum parentum minor sit, quam ut rem absolutam censem, major autem, ut plane illicitam putem. Bigenerum haec Veronica sola ulterius indaganda videtur, quum omnium fere caeterarum hybrida progenies nemini certe hodie arrisura sit. Quis enim Aquilegiam canadensem ex Aquilegiae vulgaris et Fumariae semperviren-

guisorbae et Agrimoniae Eupatoriae connubio  
ortas esse censebit?

Nec Congenerum sectio plures ac prior veras  
hybridas continere videtur. Silentio tamen haud  
praetereunda sunt tum Verbena tetrandra, quam  
in horto academico, anno 1748 eodem pulvillo  
cum Verbena hastata, matre, Verbena spuria,  
patre, enatam, sequente autem anno extinctam  
affirmat; tum Carduus tataricus, e Cnico ole-  
raceo, matre, et Carduo serratuloide, patre,  
ortus.

Quod tertiam sectionem attinet, qua Defor-  
matae recensentur, moneam, eas nequaquam  
hybridis, sed potius monstris varietatibusque  
adnumerandas esse. Sunt autem ex Linnaeo vel  
Crispatae, quas, quum pollinis vis elastica  
nota sit, forte ex validiore ejus profusione de-  
ducendas putat, vel Latifoliae, vel Angustifo-  
liae. Plenitudinem autem in floribus idem  
esse, ac crispatio in foliis. Hisce insuper an-  
nectit Grandifloras, quae unice floribus majo-  
ribus ab aliis differant, et Radiatas, quae radio  
spolientur constanti lege, nec eundem recipient.

In sectione quarta Obscuras nonnullas indicat  
hybridas, quas autem, quum ex dissimillimarum

plantarum mutua foecundatione ortas autem,  
praetereo.

Hisce propositis seniori tempore adjunxit Additamenta, in quibus et priora brevi repetuntur, et nonnulla nova adduntur. Ex quibus id solummodo memorandum duco: plantam aliquam hybridam esse, id non repugnare, quod non semper juxta filiam avi atavique inveniantur, quum hybrida ex montana et palustri solum tertium expetere debeat. Ex quo proposito nemo non intelliget, Linnaei esse sententiam, multas hybridas nunc proprio marte sese propagare formamque suam conservare, ita ut species legitimae factae sint; quam sententiam minime naturae consentaneam esse, infra nonnullis argumentis demonstrare conabor.

Quamquam magni ingenii vir, si unicum forte exemplum Veronicae spuriae excipias, experientia adhuc confirmandum, plantas hybridas revera dari, hac dissertatione nondum probasse videretur; seniori tempore et quidem anno 1762 certe veram hybridam vidit, ortam in horto academico Upsaliensi. Hic enim per plures annos in eodem pulvillo crescebant Verbenum Thapsus et V. Lachnitis, et ex huius

seminibus sponte disseminatis exorta est planta, quae matri similis erat caule ramoso, florum filamentis lana purpurascente (?) reliquisque partibus fructificationis, sed patrem referebat magnitudine, calycibus, foliorum figura, per caulem quidem nonnihil decurrente, non tamen erant folia totaliter decurrentia ut in patre. Semina haec stirps nulla produxit <sup>4</sup>).

Etsi nonnulli ejusdem temporis botanici hybridam plantarum generationem non amplius dubitabant, nullum tamen in hanc rem experientia instituisse invenio usque ad annum 1758, quo Linnaeus primus e Tragopogone pratensi, polline Tr. porrifolii foecundato, semina nactis est, quibus satis anno insequente germinabant plantae, quarum flores erant purpurei basi lutei. Semina haec stirps maturavit <sup>5</sup>).

Huic autem unico plantae hybridae arte productae exemplo pridem cognito magnam earum copiam addidit Jos. Theoph. Koelreuter, communicatam ab anno 1761 ad an. 1785,

<sup>4</sup>) Linn. Am. ac. Vol. 6. ed. Schreb. p. 293.

<sup>5</sup>) Am. ac. Vol. 10. ed. Schreb. p. 126.

partim in peculiari libro <sup>6</sup>), partim in *Actis Academiae Petropolitanae* <sup>7</sup>). Sed quum nimis longum foret, si tot Koelreuteri experimenta sigillatim repeteremus, quasi summam tantum exinde deductam referre sufficiat.

Si stigma alicujus plantae, a proprio polline nondum foecundatum, foecundatur ab alterius polline, plantae ex illius seminibus pronatae formam tertiam ostendunt. At haec generatio arctiorempostulat jungendarum affinitatem. Ex quo sequitur, ejusdem speciei varietates facilime, ejusdem generis species jam difficilius, diversorum generum difficillime misceri. Huc etiam spectare videtur generum quorundam

<sup>6</sup>) Vorläufige Nachricht von einigen das Geschlecht der Pflanzen betreffenden Versuchen. Leipzig 1761. — Erste Fortsetzung der V. N. 1763. — Zweite Forts. 1764. — Dritte Forts. 1766.

<sup>7</sup>) *Lychni-Cucubalus*. in *Novi Commentarii Academiae Petropolitanae*. Tom. 20. pr. an. 1775. p. 431. — *Digitales hybridae*, in *Acta Acad. Petropol.* pr. an. 1777. P. 1. p. 215. — *Lobeliae hybridae*. ibid. pr. an. 1777. P. 2. p. 185. — *Lycia hybrida*. ibid. pr. an. 1778. P. 1. p. 219. — *Digitales aliae hybridae*. ibid. pr. an. 1778. P. 2. p. 261. — *Verbascum nova hybrida*. ibid. pr. an. 1781. P. 1. p. 249. — *Datura novae hybridae*. ibid. pr. an. 1781. P. 2. p. 303. — *Malvacei ordinis plantae novae hybridae*. ibid. pr. an. 1782. P. 2. p. 251. — *Lina hybrida* in *Nova Acta Acad. Petropol.* Tom. 1. Petrop. 1787. p. 339. — *Dianthi novi hybridum*. Tom. 2. Petrop. 1789.

**eximia ad generationem hybridam proclivitas,**  
**quam plurima Koelreuteri experimenta suadent.**

Forma plantae hybridae intermedia esse solet inter parentum formas, quod ut exactissimas Koelreuteri descriptiones comparativas praetermittam, eo praecique confirmatur, quod e foecundatione per diversam speciem ejusdem formae plantae plerumque progignebantur, vel si haec ab illa, vel si illa ab hac foecundata erat. Qua de causa, quaenam planta hybridae stirpis **mater**, quaeve pater, ex illa ipsa contra Linnaei sententiam dijudicari nequit.

Bis observavit Koelreuter plantas hybridas in hortis sponte e seminibus Nicotianae rusticae ortas, simillimas iis, quas e Nicotiana rustica cum paniculatae polline arte foecundata assecutus erat, nisi quod illae Nicotianae paniculatae minus similes erant, quam rusticae. Qua de causa eas ex dupli stigmatis foecundatione cum polline partim proprio, partim Nicotianae paniculatae ortas existimat. Qum autem Koeleuteri experimenta in foecundandis singulis stigmatisbus per pollen duarum vel plurium specierum irrita fuerint, merito adhuc de ejusmodi super-

Hybridae e varietatibus ejusdem speciei, etsi medium inter genitores teneant, fertilitate parentibus non sunt inferiores. Hybridae ex diversis speciebus ortae, parentibus multo minus fertiles, vel plane steriles sunt. Itaque non sine aliqua juris specie in copulatione hybrida invenisse auctor sibi videtur certissimam specierum distinctarum confirmandarum regulam. Quum autem minor pars plantarum hybridarum Koelreuteri omnino steriles fuerint, et nonnulli earum fertilitatem parentum fere attigerint, hanc sententiam nondum pro axiomate in physiologia botanica sumendam arbitror.

Sunt foecunditatis in plantis hybridis varii gradus. Aliae plane steriles esse videntur; aliae mascula parte quidem impotentes, polline genitiae plane experitae, foeminea vero, si pollen alienum accederit concipiendi facultate non prorsus destitutae. Quomodo fieri potest, ut una species saepius repetitis foecundationibus in patrem a matre diversissimum mutetur, quod Koelreuter, Nicotianam rusticam quinis gradibus polline paniculatae foecundando, omnino confecit. Aliae denique, etiamsi parentibus minus fertiles, tamen partibus et masculis et foeminae eas propagandi vi non praeve[n]tia decti

tutis gaudent. Huc tales praesertim pertinere videntur, quales proveniunt ex parentibus longiore cultura quodammodo jam mutatis. Datur igitur et hybridarum proles nullo alio polline adjuvante. Quae quum aviae suae similior evaderet; non sibi constare, sed per plures generationes forte ad gentis maternae formam redituram esse Koelreuter autumat. Experimenta tamen de hujusmodi transmutatione perfecta, non adjuvante materno polline, desiderantur.

Plantae hybridae saepius monstrosae sunt, quod, quum in earum antheris, ut supra vidi mus, quasi solenne sit (vix enim antherarum imperfectio a monstrositate differre videtur), nemo mirabitur, idem ex metamorphoseos lege in reliquis etiam earum partibus frequentius esse. Hybridas autem saepe parentibus vegetiores esse, earum sterilitati sine dubio est tribuendum.

Hybridae vel ex speciebus cultura mutatis, vel ex hybridarum connubio cum uno parentum progenitae, majorem monstrant formarum inconstantiam, quam quae e speciebus cultura minus mutatis ortum ducunt.

Haec sufficient de summis Koelreuteri circa hanc doctrinam exponendam meritis. De reliquis scriptoribus brevius agere licebit.

Acta amicorum naturae curiosorum Berolinensium anonymi cuiusdam <sup>8)</sup> experimentum de foecundatione Mirabilis longiflorae ex polline Jalapae continent, quo orta est planta inter parentes vere intermedia.

Deinde Joan. Hedwig <sup>9)</sup> repetitum Koelreuteri experimentum commemorat. Foecundato enim stigmate Nicotianae rusticae cum polline paniculatae, obtinuit semina, e quibus excrevere plantæ foliis et inflorescentia plane N. paniculatae, at corolla medium inter utramque speciem tenente.

Abhinc ad Villarsium usque vix ullus de nostro argumento gravius aliquid scripsit. Hic <sup>10)</sup> hybridas esse statuit, breviterque meminit

<sup>8)</sup> J. Ch. E. Erfahrung von der Wirkung des Blumenstaubes der Pflanzen in: Beschäftigungen der Berlinischen Gesellschaft naturforschender Freunde. B. 1. 1775.

<sup>9)</sup> Theoria generationis et fructificationis plantarum cryptogamicarum. Editio aucta et emendata. Lips. 1798.

<sup>10)</sup> Mémoire sur quelques plantes hybrides in: Roemer, Collectanea ad omnem rem botanicam

Gentianarum trium, quas e mutua specierum foecundatione ortas autumat, de quibus vide infra sub Gentianeis. De hybridis in genere autem contra Koelreuterum monet, esse eas veras species, quum robustiores et minus mutabiles sint speciebus legitimis; non posse variare, quia semina non perficerent. Fatetur tamen, naturam cum iis videri ludere; concessa enim majore vegetationis vi, naturam seminibus se multiplicandi facultate eas privasse.

Carolum Bellardium anno 1809 sub titulo: Saggio botanico-georgico intorno l'Ibridismo delle piante, librum hucusque mihi non visum scripsisse, ex Lindley Digitalium Monographia comperi, in quo experimenta de Tritico Polono, coerulescente et tomentoso communicasse, e quorum mutua copulatione fertilem nactum esse progeniem. Observasse, summa cura opus esse, ne hybridae ad parentum imagines reverterent, quoniam natura per varios modos pristinam formam resuscipere semper tentet (Lindl. l. c. p. 4.).

D. H. Hoppe<sup>11</sup>) de Aconito forte hybrido ex Lycoctono et pyrenaico parvam dissertationem scripsit.

<sup>11</sup>) D. H. Hoppe Neues hot. Taschenb. 1810. p. 217

Nuperrimis temporibus nonnulli botanici plantarumque cultores Anglici in Actis societatis Hortulanorum <sup>12)</sup>) observationes circa hybridam plantarum generationem communica-  
verunt. Guil. Herbert (p. 15.) multa refert experimenta cum Gladiolis Africanis, Crini Amaryllidisque speciebus, multisque aliis qua-  
rum maximam partem fertilem observavit. — Jos. Sabine (p. 254.) hybridam ex Passiflora racemosa, polline coeruleae foecundata, sedulo cum parentibus comparavit et fuse descriptis. — J. R. Gowen (p. 498.) hybridam affert pro-  
ductam ex Amaryllide vittata, matre, et Amaryl-  
lide Reginae, patre.

Observationibus Herberti praesertim commo-  
tus Thom. Andr. Knight sententiam tulit (p. 367.), hybridas e diversis speciebus ortas semper steriles esse; viderent igitur experimen-  
tatores, ne varietates pro veris speciebus ha-  
beant.

Joan. Lindley <sup>13)</sup> de plantarum hybridarum historia disserens sententiamque de iis exponens

<sup>12)</sup> Transactions of the Horticultural Society of London. Vol. 4. Lond. 1820.

<sup>13)</sup> J. Lindley, Digitalium Monographia. Lond.

(p. 3 et sqq.), in eo cum Knightio consentit, hybridam progeniem, ex diversis speciebus ortam, semper esse sterilem. De summorum virorum sententiis equidem dijudicare non audeo, mihi autem ex experimentis Koelreuteri haud sequi videtur, omnes hybridas, et Monocotyledoneas, steriles esse. Dies itaque diem docebit.

Per longum tempus sexus plantarum omnibus fere botanicis indubitatus erat. Anno autem 1812 F. J. Schelver<sup>14)</sup>) novam vegetationis theoriam, ex imis philosophiae fontibus deductam, proposuit, qua sexus plantarum negatur, ergo etiam plantae hybridae. Nobis autem, qui in hoc opusculo observationes praeципue tradere, nec philosophice disputare volumus, satius visum est afferre, Schelverum phaenomena illa, quae Koelreuter aliique ex hybrida plantarum generatione deduxerant, minime negasse, sed ex alio principio repetiisse.

Deinde A. Henschel, Schelveri theoriam amplexus, in fusiori opere<sup>15)</sup> empirica praeser-

<sup>14)</sup> F. J. Schelver, Kritik der Lehre von den Geschlechtern der Pflanze. Heidelb. 1812. Erste Forts. 1814. Zweite Forts. Carlsr. 1823.

<sup>15)</sup> Von der Sexualität der Pflanzen. Studien von A. Henschel. Bresl. 1822.

tim botanicorum argumenta pro sexu plantarum et prae reliquis Koelreuteri experimenta refellere conatus est (p. 445 et sqq.). Si plantae, per artificialem foecundationem ope pollinis diversae speciei nactae, mutarentur, quin etiam earum formae illi speciei, quae pollen praebuisset, similes evaderent, vim formativam pollinis sat clare per hoc experimentum demonstratum iri concedit; sed primum interrogat: an Koelreuteri plantae hybridae indolem animalium hybridorum habeant? Inter animalium hybridorum signa primum sterilitatem obvenire ait, plantas hybridas Koelreuteri vero minime semper steriles exstitisse. Quarundam autem sterilitatem maxime ex duabus causis ortam esse, ex cultura nimirum, quae magis vitam individualem quam generalem augeret, tum etiam ex ipsa plantarum natura, quibuscum experimenta facta essent, quum aliae fuissent steriles, aliae semina perfecissent. Alterum animalis hybridum signum, formam medium esse inter patrem matremque. Quod ad plantas hybridas dictas attineret, formam primitivam speciei ab alieno polline posse quidem mutari; ipsa autem Koelreuteri experimenta docere, minime tam legitime mutari, ac si vera ambigena generatione

ortae essent; Koelreuterum autem plerumque in descriptionibus notas characteristicas praeterisse. Itaque formas intermedias, a Koelreuter descriptas, ejus phantasiae adscribere propensior est, quod a Schelvero aliisque, qui multa specimina plantarum hybridarum Koelreuteri in herbariis asservarent, confirmaretur. Ne colorem quidem medium tenuisse hybridas nonnullas Koelreuteri, ut ex Dianthis sat clare appareret. Itaque unius tantum stirpis degeneraciones, nec duarum formas intermedias esse contendit, nam 1) ex eadem foecundatione non unam sed plures hybridas formas ortas esse. Ex eodem experimento plantas enatas esse, quae partim matri, partim patri propinquiores viderentur; 2) plantas hybridas adeo varietatum indolem prae se tulisse, ut ejusdem plantae flores inter se discrepassent, et profectiore plantae aetate alio colore tincti fuissent ac juniore; 3) diversitatem formarum in multis veram fuisse deformitatem, monstrositatem, multiplicationem; 4) ex descriptionibus Koelreuteri patere, reitratis iisdem experimentis plantas ortas esse non minus frequenter inter se absimiles, quam similes. Itaque experimentatorem sibi ipsi repugnare existimat, si

contendat, generationem hybridam certis gradibus progressam esse. Ex quibus praemissis, nescio quomodo, concludit, transmutationem Nicotianae rusticae in paniculatam per saepius iteratas foecundationes ope pollinis hujus, praesertim quum a nullo recentiorum botanicorum repetita sit, esse incertam. Id solummodo pro certo habendum putat de experimentis Koelreuteri, plantas, post accessum alterius speciei pollen ortas, ad variabilitatem et degenerationem maxime esse proclives.

Haec theoria de plantarum generatione non-nulos sibi acquisivit asseclas. Plurimi autem Germaniae naturae scrutatores eam, quae a Camerario proposita, a Linnaeo confirmata et divulgata est, retinuerunt, et inter hos praecipue L. C. Treviranus scriptis defendit. Primum monuit quaedam contra Schelverum<sup>16)</sup>). Tum autem prolixius rem tractavit contra Hensche-lium in peculiari libro<sup>17)</sup>), ex quo, quae in nostram causam maximi momenti visa sunt,

<sup>16)</sup> Ueber die Erzeugung durch zwei Geschlechter im Pflanzenreiche, in: Vermischte Schriften von G. R. u. L. C. Tréviranus. Brem. 1821. B.4. p. 95.

<sup>17)</sup> Die Lehre vom Geschlechte der Pflanzen, in Bezug auf die neuesten Angriffe erwogen, von L. C. Tréviranus. Brem. 1822.

referam. Koelreuterum non semper exitum experimentorum tam accurate quam necesse fuisset descriptsisse, concedit, minime autem veram esse exprobationem Henschelii, Koelreuterum notarum characteristicarum nunquam fere mentionem fecisse. Huc accedere maximum Koelreuteri solertiam et assiduitatem in experimentis faciendis, nec non veritatis amorem in iis narrandis et interpretandis quam maxime perspicuum: itaque nulla diffidia ejus aestimationem diminui debere. Quibus in universum praemissis fretus, singulas exceptiones, quarum ipse meminit Koelreuter, haud sufficientes esse judicat ad refutandam sententiam, plurimis experimentis praesertim cum Verbasci speciebus institutis, probatam. Nonnunquam formam plantae hybridae magis patri, quam matri similem fuisse, neminem miraturum, quem non fugiat, naturam etiam in regno animali intra certos fines in propagatione polymorpham esse. Quae inconstantia si praecipue in experimentis cum plantis, longiore cultura jam affectis, observaretur, e. g. in variis Dianthis magis, quam in Verbasci speciebus, per se intelligi, etiamsi experimentis non probaretur. Quibus argumentis ex

Trevirano contra Henschelium prolatis, quamvis sufficere videntur, unum tamen ni fallor, nec levissimum accedit, ab illo amissum: quod quidem per experimenta ita inversa, ut materna stirpe pro paterna utaris, plantae ejusdem formae gigni solent.

Supersunt nonnulli scriptores, qui singulas plantas hybridas sponte natas observarunt, uti Guillemin et Dumas aliique, quorum autem observationes in speciali parte, ad quam nunc transeamus, suis locis afferre malui.

**PLANTARUM  
HYBRIDARUM SPONTE  
NATARUM, QUAE HUCUS-  
QUE INNOTUERUNT,  
ENUMERATIO.**

Plantarum familiae quaedam et genera, quum prae reliquis proclivia videantur ad plantas hybridas procreandas, in singulis enumerandis, sistema vegetabilium naturale sequi, consilii erit. Inter Monocotyledones nullae, quantum scio, hybridae sponte natae sunt observatae; statim igitur ad Dicotyledones transire licebit.

**Q U E R C U S.**

Cel. Bechstein <sup>18)</sup> sub Quercus pedunculatae rosaceae nomine, arboris mentionem facit,

<sup>18)</sup> Forstbotanik. ed. 4. p. 226.

quam hybridam progeniem ex Q. pedunculata et Robore ortam autumat. Eam non semel in Thuringia et Franconia illis associatam, a selectam affirmat; notis characteristicis inter allatas plane intermediate esse, semina autem perficere.

## P O L Y G O N U M.

In hoc genere plantas hybridas sponte oriri, auctor est Alex. Braun<sup>19</sup>), botanicus Carlsruhanus. Etsi nullam earum adhuc viderim, nec de differentia specifica plantarum, a Braunio pro parentibus habitarum, jam satis certus sim, tamen quaecunque de hisce hybridis commemorantur, rei non parum fidei tribuunt, ipsosque parentes revera specie differre, testare videntur. Hybridarum vero diagnoses ut melius intelligantur, parentum quoque diagnoses, sicuti a Braunio propositae sunt, huc transluli. Sunt autem sequentes:

a) floribus hexandris semidigynis et semitrigynis, styli partibus erectis.

<sup>19</sup>) Ueber die zur Abtheilung Persicaria gehörigen Polygona, welche bei Carlsruhe vorkommen, in Flora oder botan. Zeitung. Jahrgang 1824. p. 353.

(1) **POLYGONUM DUBIUM STEIN** herb. foliis lanceolatis acutis glabriusculis, stipulis arcte vaginantibus adpresse setosis longe ciliatis, floralibus ciliato-barbatis, spicis erectiusculis filiformibus interruptis incrassatis; terminalibus axillaribusque; calycibus eglandulosis; seminibus partim compressis utrinque gibbis, partim trigonis.

Br. l. c.

(2) **P. MINUS AIT.** foliis sublinearibus acutis basi subcordatis glabriusculis; stipulis arcte vaginantibus adpresse setosis, floralibus ciliato-barbatis; spicis erectis filiformibus interruptis, calycibus eglandulosis; seminibus minimis, partim compressis utrinque convexis, partim trigonis. Br. l.c.

b) floribus hexandris semidigynis et semitrigynis, styli partibus distantibus.

(3) **PERSICARIA L.** foliis late lanceolatis acutis, marginem versus et costis adpresse pilosis; stipulis hirsutis dense ciliatis; spicis oblongis erectis; pedunculis glabris; calycibus nervosis; seminibus partim compressis altera parte gibbis, partim triquetris. Br. l. c.

Jamnunc ad hybridas ex praecedentibus, fide  
Braunii, ortas pervenimus.

### **1. POLYGONUM MINORI-PERSICARIA BRAUN.**

caule elongato adscendente ramosissimo; foliis  
lineari-lanceolatis acutis glabriusculis; stipulis  
arcte vaginantibus adpresse setosis ciliatis; spi-  
cis cylindricis incrassatis interruptis; calycibus  
eglandulosis subnerviis. Br. l. c. p. 359.

Raro ac singulatim, inter copiam Polygoni  
minoris et Persicariae, in agris umbrosis humi-  
dis, ad sylvae marginem prope Carlsruham.  
Planta vegeta et saepius altitudinem 3 — 4 pe-  
dum attingens, numerosas spicas axillares ter-  
minalesque proferens; semper autem sterilis,  
aut semina tantum imperfecta, parum majora  
ac in Polygono minori, minora ac in Persi-  
caria gignens.

### **2. POLYGONUM DUBIO-PERSICARIA BRAUN.**

caule elongato, foliis lanceolatis oblongo-lan-  
ceolatis acutis, caeteris ut in praecedente. Br.

Nonnisi in *Polygoni dubii* et *Persicariae* consortio, et quidem semper singulatim. Et hoc sterile est, uti prius, cui simillimum. Differt autem caule erecto, foliis latioribus, floribus vix evidenter majoribus. Nullibi frequentius legit inventor, quam in fossa, quae magnam copiam *Polygoni dubii* et *Persicariae* alebat, et quidem floribus rubellis inter rubella, floribus albis inter alba. Locis siccoribus minus et prostratum; in paludibus inter *dubii* et *Persicariae* varietates analogas, minus et foliis angustioribus.

## G E N T I A N A.

Jam anno 1806 Villars <sup>20)</sup> Gentianarum species saepius plantas hybridas proferre, retulit, et Gentianam punctatam Vill. e Gentiana lutea, matre, et purpurea, patre, ortam autumavit. Gentiana Thomasii Gillaboz, secundum eundem auctorem hybrida e purpurea, matre, et pannonica Jacq. patre, est habenda. Gentianam hybridam Vill. autem ex luteae cum pannonica connubio ortam credit. Recentissi-

<sup>20)</sup> Mémoire sur quelques plantes hybrides, in: Roemer, Collectanea botanica. p. 186 et sqq.

mas easque exactissimas de Gentianis hybri-  
dis observationes debemus cell. viris Guillemin et Dumas <sup>21</sup>), de quarum una nunc  
fusius referam.

### 3. GENTIANA LUTEO - PURPUREA.

Lecta a cell. viris Guillemin et Dumas, aestate 1819, in montis Mole latere boreali, supra mapalia, Chalets de la tour dicta, cum magna Gentianae purpureae copia, quibus nonnulla luteae specimina erant intermixta. Juxta hasce, in distantia ad summum duorum metrorum Gallicorum, hybrida proveniebat. Gentiana lutea rara erat, et in confinio cujusvis plantae duae ad tres hybridae crescebant. Pro syno-  
nymo Gentianam hybridam Cand. (non Vill.) habent inventores. Aderant omnes formae Gentianam luteam cum purpurea connecten-  
tes; quae vero in earum descriptione memo-  
ratu digniora visa sunt, afferam.

Planta altitudinem paene Gentianae luteae attingebat. Folia paulo longiora et magis

<sup>21</sup>) Bemerkungen über die Blendlinge im Pflanzenreich überhaupt und über die einiger Alpen-Enziane insbesondere, in: Fortsetzung des Allgem. Deutschen Garten-Magazins. 8. B. 2. St. 1824, p. 68.

nitentia ac Gentianae luteae, Corolla ex rotata acuta Gentianae luteae in campanulatam obtusam purpureae, ex colore luteo illius in violaceo-purpureum hujus transiens. Flores non-nullarum plantarum pedicellati ut in lutea, aliarum sessiles ut in purpurea; modo punctati, modo unicolores. Hae diversitates autem non pari passu e Gentiana lutea in purpuream transitum faciebant, nam saepe observabantur hybridae, floribus, quoad formam, luteae approximantibus, etsi colore cum purpurea convenirent. Antherae modo liberae ut in Gentiana lutea, modo conjunctae ut in purpurea, modo fasciculos duos ad tres formantes; in corolla profunde divisa rotata liberae, in campanulata minus profunde divisa connatae. An semina perficiat haec hybrida, incertum est.

Haec omnia vix dubium relinquunt, esse veram hybridam. Uberiorem descriptionem nec non aliquot corollarum icones vide l. c. et t. 7. A.



Aliam Gentianam hybridam similiter in consortio purpureae et punctatae provenientem, de cuius ambigena origine non dubitant viri cell. Guillamin et Dumas invenierunt in monte

**dicto:** Mont reposoir, eamque, nescio an jure,  
pro Gentiana pannonica habent.

Secundum eosdem auctores etiam Gentiana campestris cum Amarella saepe hybridas gignit. Observaverunt enim in monte Saleve prope Genevam in earum consortio singulas plantas, quae habitum Gentianae campestris et characteres Amarellae prae se ferebant, calyce excepto, cuius segmenta duo erant majora; corolla vel quadri - vel quinquefida.

## V E R B A S C U M.

### 4. VERBASCUM THAPSO - NIGRUM.

**V. COLLINUM** Schrad., foliis crenatis tomentosis: inferioribus elliptico-oblongis petiolatis, caulinis intermediis oblongo-lanceolatis acutiusculis basi attenuatis; superioribus oblongis acutis leviter decurrentibus. Schrad. Verb. 1. p. 35. t. 5. f. 1. Wallr. Ann. bot. p. 29. Schultz. Fl. Starg. Suppl. 1. p. 13.

**V. SEMINIGRUM** Fries, foliis crenatis tomentosis, inferioribus oblongis petiolatis, superioribus ovato-oblongis acutis decurrentibus, racemi fasciculis confertis paucifloris, filamentis

tis omnibus lanatis, antheris aequalibus. Fries  
Novit. Fl. Suec. P. 5. p. 68.

V. THAPSUS  $\beta$ . THAPSO-NIGRUM; varietas  
hybrida sterilis, patre nigro, sub oculis D.  
Eduardi Robson in horto enata, gaudet caule  
ramoso, foliis superioribus tantum decurrenti-  
bus, staminum villis violaceis. With. Smith  
Fl. Brit. 1. p. 249.

Cel. Schrader, qui Verbascum collinum suum,  
ut ex ipsissimis verbis habeo, hybridam prolem  
Thapsi et nigri putat, in collibus, graminosis  
siccis passim in Germania septentrionali lectum  
adnotat. Cel. Wallroth in graminosis siccis  
nemusculi Lettinensis, hinter der wüsten Feld-  
mark, Fl. Halens. Cel. Schultz, qui duas varie-  
tates distinguit, in ruderatis graminosis rarius  
prope Neobrandenburgum. Cel. Fries in Oe-  
landia circa templum Thorslunda. Ego cum  
amic. Girtanner prope Reinhausen Florae Got-  
tingensis, in colle arenoso, et quidem in con-  
sortio Verbasci Thapsi Schrad. et V. nigri uni-  
cum specimen inveni. Amicc. E. Meyer et  
Roeper specimina duo, itidem parentibus con-  
sociata in Hassia legerunt, nec pro planta hy-  
brida agnoscere dubitant. Ex literis et speci-

minibus amicc. Zuccarini et Bischoff habeo, etiam prope Monachium provenire, ubi procul pagum Grünwald, cum cel. Koch, loco sedulo perscrutato, tria tantum specimina invenerem, inter magnam copiam Verbasci Thapsi var. ramosae, quae forte V. thapsoides Schrankii. Verbascum nigrum loco indicato nec invenisse nec quaesivisse adnotant.

R a d i x , quae in Verbasco Thapso biennis, in nigro subperennis, in hoc hybrido saepius in tertium annum durare videtur. C a u l i s Verbasci Thapsi prope Gottingam plerumque tripedalis vel parum altior, vix unquam ramosus; — Verbasci nigri multo humilior, e fusco purpureus, in vegetiore saltem planta, ramis aliquot auctus; — in hybrido fere quadripedalis, inferne et nervis foliorum rubedine aliqua tinctus, racemo inferne ramis nonnullis brevibus instructo. F o l i a , quae in V. Thapso pallide viridia, molliter tomentosa crenulata, inferiora oblonga vel oblongo-lanceolata obtusa, basi in petiolum attenuata, superiora angustiora acutiuscula decurrentia; — in V. nigro ovato-cordata grosse crenata, subtus tenuissime tomentosa, supra viridia opaca, vix pilis brevissimis pubescentia, inferiora petiolata.

superiora sessilia; — in hybrido utrinque tomentosa, minus tamen ac in Thapso, grosse crenata, inferiora ovata et ovato-lanceolata petiolata, superiora angustiora acutiora sessilia, suprema parum decurrentia. **F l o r e s**  
**V.** Thapsi breviter pedicellati, in quoque fasciculo 2 ad 3, in spicae densae formam congesti;  
— **V.** nigri longius pedicellati, fasciculis multifloris, in formam racemi interrupti collecti;  
— in hybrido longius pedicellati ac in Thapso, brevius ac in nigro, fasciculis 5 ad 6-floris, in racemi inferne magis interrupti, superne magis densi formam congesti, odori, nec tam suave olentes ac **V.** Thapsi. **C a l y x** **V.** nigri parvus, laciniis linear-lanceolatis pubescentibus; **V.** Thapsi major, laciniis anguste lanceolatis tomentosis; in hybrido major ac **V.** nigri, laciniis latioribus tomentosis, minus tamen ac **V.** Thapsi. **C o r o l l a** **V.** nigri minor, extus tenuissime pubescens; **V.** Thapsi major, extus evidentius pubescens; plantae hybridae, **V.** nigro paulo major, extus pubescens at minus ac in Thapso. **F i l a m e n t a** **V.** nigri omnia profunde violaceo lanata; **V.** Thapsi, tria minora albido lanata, duo majora pilis parcis; in hybridi omnia barbata, barba dilute

violacea, versus apicem trium breviorum albida. *Antherae* omnes reniformes. An fertile fuerit nec ne, ob tempus praematurum, quo specimen meum legi, mihi observare non licuit. Amicc. E. Meyer et Roeper utrumque specimen ab iis lectum sterile observarunt. Etiam specimina *Monacensis*, quae coram habeo, nec a Gottingensi Hassiacisque diversa invenio, nisi statura foliisque minoribus, hisque minus crenatis, floribusque in singulis fasciculis pluribus, prorsus videntur sterilia, uti eorundem parentum proles hybrida artificialis a Koelreutero (Contin. 3. p. 21 et p. 26.) tam fuse quam bene descripta.

## 5. VERBASCUM THAPSIFORMI-NIGRUM.

Unicum hujus plantae specimen in Verbasci nigri et thapsiformis Schrad. consortio, in arenosis prope Werleshausen Hassiae inferioris, ad adversam ripam fluminis Werrae, aestate 1824 legit cel. G. F. W. Meyer, mecumque adhuc vivum benevole communicavit. Ejusdem specimina quaedam cum parentibus eadem aestate legit cel. Koch, in prato ad flumen Rodnitz in confinio Erlangae et unum ex iis

benevole mecum communicavit. Et hoc Verbasum intermedium esse inter parentes, et priori, V. Thapso - nigro, ob magnam V. Thapsi et thapsiformis affinitatem, perquam simile, e sequentibus sat clare patebit.

**C a u l i s**, qui in V. thapsiformi plerumque Thapso humilior, simplex; — in hybrido quadripedalis, rubidine aliqua tinctus, superne ramis brevibus auctus. **F o l i a**, quae in thapsiformi magis acuminata ac in Thapso; — in hoc hybrido, inferiora oblongo-lanceolata breviter petiolata, intermedia sessilia, superiora multo breviora ovata acuminata evidenter parum decurrentia, omnia crenata albido-tomentosa, subtus venoso-rugosa et magis albicanitia. **F l o r e s** fasciculati breviter pedicellati, odorem spargunt V. thapsiformis. **C a l y x** tomentosus. **C o r o l l a**, quae in V. thapsiformi multo major ac in V. Thapso; in hybrido paulo major ac in V. Thapso - nigro, diametri lin. 8 — 10, intus glabra, extus pubescens. **L a c i n i a e** ovales, duo superiores breviores. **F i l a m e n t a** omnia barbata, barba dilute violacea, versus apicem trium breviorum albida. **A n t h e r a e** filamentorum

duorum longiorum, quae in *V. thapsiformi* oblongae; in hybrido reliquis subsimiles paululum majores reniformes. Pollen profunde miniatum. *S t y l u s* antheras superans, post anthesin elongatus. *Stigma* capitatum viride depresso. *Capsulas* nec vidi, nec perficere videtur.

## 6. VERBASCUM THAPSIFORMI - LYCH-NITIS.

*V. RAMIGERUM?* Link in litt. ad Schrad.; foliis tenuissime tomentosis, radicalibus oblongo-lanceolatis, caulinisque oblongis acutis duplano - crenatis semidecurrentibus; summis acuminatis, ramis paniculatis, fasciculis remotis multifloris, antheris aequalibus. Schrad. Verb. 1. p. 37. tab. 4.

Cel. Link, si *V. ramigerum* hujus loci, in ducatu Megapolitano legit; deinde aestate 1824 cel. Koch in prato, ad flumen Rednitz Florae Erlangensis unicum specimen cum parentibus; quod pro hybrido agnovit et benevole mecum communicavit inventor. Planta Erlangensis

ramigeri quadrat, ut cel. Koch, qui idem esse autumat, libenter assentiam.

**C a u l i s**, quantum ex ramo dijudicare licet, altus ramosus, leviter tomentosus. **F o l i a**, quae in V. thapsiformi decurrentia, valde tomentosa; — in Lychnitide superne glabriuscula, inferne albido-tomentosa sessilia; — in hoc hybrido, radicalia a me haud visa, caulinata oblongo-lanceolata inaequaliter crenata parum decurrentia, utrinque, praesertim inferne, canescenti-tomentosa, minus tamen ac in V. thapsiformi, inferiora obtusa, floralia acuminata. **F l o r u m** fasciculi inferiores remotiores, superiores approximati, omnes multiflori. Pedicelli, qui in thapsiformi brevissimi; in Lychnitide longiores; in hybrido mediae longitudinis, tomento albido obducti. **C a l y x** minor ac in thapsiformi, major ac in Lychnitide, itidem albido-tomentosus. **C o r o l l a**, in thapsiformi maxima; in Lychnitide parva; in hybrido diametri fere uncialis extus pubescens suaveolens. **F i l a m e n t a** omnia albido-barbata. **C a p s u l a s** nec vidi, nec perficere videtur, quum et cel. Schräderi icon specimen ut videtur sterile exhibeat, et in descriptione a cel. viro capsulae maturae desiderentur.

## 7. VERBASCUM NIGRO-LYCHNITIS.

Verbasci nigri varietatem, quae quasi in Lychnitidem transit, cēl. Schultz (Fl. Stargard. Suppl. p. 15.) legit prope Stargard, am Schlossberg. Ego cum amic. Eubel prope Bruck Styriae inferioris unicum decerpsi specimen, juxta aliquot V. nigri specimina, quae magnae cępiae V. Lychnitidis var. flavae erant intermixta. Cel. Koch aestate 1824 in prato quodam ad flumen Rednitz, in confinio Erlangae, aliquot specimina legit cum parentibus, mecumque benevole communicavit hanc stirpem.

Rādix aliquot annos perdurare videtur, quum ex eadem basi plures exsurgent caules, quod secundo anno non fieri solet. Caulis, qui in V. nigro simplex vel ramis paucis auctus; in Lychnitide ramos multos floriferos gignit; in hocce hybrido parum ramosus. Folia, quae in nigro ovato-cordata subtus pubescens, inferiora petiolata; — in Lychnitide supra glabriuscula, subtus albido-tomentosa, inferiora ovali-oblonga obtusiuscula, in petiolum attenuata, superiora acuta; — in hybrido latiora ac in hoc et minus albido tomentosa, subtus cordata ut in illo. Flores

fasciculati ut in parentibus. Calyx tomentosus fere Lychnitidis. Corolla parentum. Filamentorum barba dilute violacea, nec alba ut in Lychnitide. Capsulas nec in meo specimine, etsi jam paene defloruerit, nec in Kochiano vidi.

### 8. VERBASCUM SINUATO-PULVERULENTUM.

**V. HYBRIDUM** Brot. foliis caulinis subdecurrentibus utrinque tomentosis, caule ramoso, floribus subpedunculatis glomeratis, glomerulis tribracteatis. Brot. Fl. Lus. 1. p. 270. (ex Schultes Syst. veg. 4. p. 357.).

Rarissima, hybrida ex sinuato et pulverulentō. Ad sepes et in umbrosis glareosis circa Conimbricam legit Brotero.

\* \* \*

Verbascum medium inter Thapsum et Lychnitidem, quod pro hybrido habet, se semel cum parentibus legisse ad me scripsit cel. Koch.

Verbascum pulverulentum  $\beta$ . nigro-pulverulentum e polline V. nigri ut videtur enatum, gaudet habitu pulverulenti, at foliis magis conspicua crassatio, radice libra petiolata, caule ne-

tiolisque purpureis, staminum villo violaceo.  
Smith Fl. Brit. 1. p. 251.

## D I G I T A L I S.

Nil certi de hujus generis hybridis afferre possum. Ne unicum quidem vidi, nec certas observationes de spontaneis invenio. Genus autem hybridae generationi esse proclive e Koelreuteri experimentis patet, nec non hybridas spontaneas provenire, existimat cel. Candolle (Suppl. de la Fl. franc. n. 2664. p. 411.).

## R H I N A N T H U S.

Cel. Wallroth (Sched. crit. n. 266. p. 519.) se unicum ex millibus multis Rhinanthi minoris speciminibus vidisse affirmat, caule dentibusque labii superioris subcoloratis, hydridam sine dubio, ut ei videtur, prolem, patre Rh. minore, matre majore.

## S T A C H Y S.

### 9. STACHYS PALUSTRI - SYLVATICA?

ST. AMBIGUA Sm., verticillis sexfloris, foliis 11. sinibus cordatis petiolatis, caule fistuloso

Engl. bot. V. 30. t. 2089. Hook. Fl. Scot. P. 1.  
p. 183. Wahlberg in His. Ant. fasc. 3. p. 79. <sup>22)</sup>.

Cell. Borrer et Hooker eam legerunt in cultis insularum Orkneys dictarum; hic, etiam in Scotia septentrionali minime raram esse, affirmat. Cel. Weatherhead eam in loco paludoso prope Habbies How legit. Specimina Weatherheadii secundum cel. Smithium ad St. palustrem magis accedunt; Borreri autem et Hookeri Stachydi sylvaticae similiora. Cel. Wahlberg eam legit leucae quadrantem a Rörvig in via versus Elstad Norvegiae. Primam notionem hujus plantae ab amic. Zuccarinio accepi, qui unico loco et quidem diametri vix decem passuum, in horto Anglicō dicto, prope Monachium legit. Dein et ego eodem loco observavi cum Stachyde sylvatica; Stachydem palustrem autem nonnisi loco ducentos et quod excurrit passus remoto vidi. Quam ob reī, an hybrida sit, adhuc incertus haereo; interea moneam, esse perennem, aequē ac plantae, quas pro parentibus habeo. Nonne igitur Stachydem palustrem quondam eodem loco crevisse, post hybridae ortum vero

<sup>22)</sup> Anteckningar i Physik och Geognosi under Resor uti Sverige och Norrige, af W. Hisinger.

aliquo casu interiisse putares? Quae qualia-  
cunque se habeant, descriptionem hic addam.

**Caudex intermedius** in planta hy-  
brida, ut in parentibus, repens. **Caulis**  
2—3-pedalis, ut in Stachyde palustri, fistulo-  
sus, nec, ut in sylvatica, medulla farctus.  
**Folia** in St. palustri breviter petiolata ob-  
longa, basi subcordata, crenata, crenis obtu-  
sissimis; in St. sylvatica longe petiolata ovato-  
cordata grosse serrata, serraturis praesertim  
foliorum superiorum acutis; — in hybrida  
evidenter at minus longe petiolata ac in sylva-  
tica, oblonga, basi cordata, grosse serrata,  
serraturis acutis fere ut in sylvatica. **Florum**  
**verticilli** in omnibus plerumque sexflori, in  
palustri, inferioribus exceptis, densi; — in  
sylvatica multo remotiores; — in hybrida  
minus densi ac in palustri, minus remoti ac in  
sylvatica. **Corolla** in palustri minor pallide  
purpurea; in sylvatica paulo major, obscure  
sanguineo-purpurea; in hybrida magnitudine  
fere palustris, saturatius purpurea ac in hac,  
pallidior ac in illa. **Semina** perfecta non  
vidi et vix perficere videtur, quum per duos

plantae foetidus ut in sylvatica, nec tam gravis; diversus tamen est ab odore multo mi-  
tiore St. palustris.

## P H Y T E U M A.

### 10. PHYTEUMA SPICATA $\beta.$ HYBRIDA NIGRO - ALBA.

Notissimum est, varietates existere, quae florum colore adeo sibi constant, ut a nonnullis botanicis varietatum constantium nomine insignitae sint. His maximo jure Phyteumae spicatae varietates alba et nigra adnumerantur, quae omnibus notis characteristicis ita inter se conveniunt, ut forsitan nonnisi florum colore distingui queant. Etsi utramque, tam in agro Gottingensi et Cassellano, quam aliis Germaniae regionibus frequentissimam inveni, ne unquam eas in uno eodemque loco simul observare mihi licuit, nisi aestate anni 1824, et quidem in via, qua iter ab rupibus Rosstrappe ad pagum Bennekenstein. Hic primo varietatem albam, nec nigram, dein nigram, nec albam vidi; sed ubi utraque varietas convenerat, duo observavi specimina, quae ob colorem flo-

rum **coeruleum** ex mutua varietatis **albae** atque **coeruleae** foecundatione orta autumo, et propter similitudinem cum diversarum specierum hybridis hic praeterire nolui. Descriptio autem superflua foret, quum unicum, quantum observare licuit, discrimin possumus esse in colore. Nonnisi florentem vidi, nec fructificantem; semina autem perficere nullus dubito<sup>23)</sup>).

## C N I C U S.

### 11. CNICUS ACAULI - OLERACEUS.

**CIRSIUM INERME**, radicibus teretibus congestis, pinnis foliorum semibilobis, ramis unifloris β. flore albo. Hall. En. pl. Gott. p. 360. hujus loci videtur.

<sup>23)</sup> Memorabile hybridae progeniei ex diversi generis plantis exemplum narrat cel. L. C. Treviranus (Verm. Schr. B. 4. S. 127.). In horti botanici Rostochiensis areola quadam anno 1813 satae erant **Campanula** divergens et **Phyteuma betonicaefolia** Vill. Subsequenti anno utraque floruit et e seminibus, in eadem areola sponte germinatis, cel. vir observavit plantas, quae quoad folia, caules, indumentum et inflorescentiam **Campanulam** divergentem valde aemulabantur, calycis vero sinubus non reflexis corollaque ad basin usque in lacinias quinque angustas partitam ambigenam originem satis aperte

**CARDUUS**, foliis lanceolatis amplexicaulibus, serraturis spinoso setaceis, capitulis triphyllis. La Chenal Obss. bot. in Act. Helv. Tom. 4 p. 294. t. 16.

**CIRSIUM**, foliis ciliatis semipinnatis, pinnis angulosis spinosis, superioribus amplexicaulibus. Hall. hist. n. 176.

**CNICUS LACHENALII**, foliis amplexicaulibus pinnatifidis glabris, laciniis inciso-bifidis dentatis, margine et apice praesertim longe spinulosis, caule ramoso, calycibus oblongis bracteatis. Gmel. Fl. Bad. Tom. 3. p. 380. — Schweigg. et Koerte Fl. Erlang. (*Cn. rigens*)?

**CIRSIUM RIGENS**, foliis semiamplexicaulibus, basi aequalibus oblongo-lanceolatis ciliato-spinosis dentato-pinnatis, pinnis ovatis subbilobis planis, pedunculis unifloris exsertis, calycibus foliolis oblongo-lanceolatis (ternis) suffultis, squamis calycinis interioribus lanceolatis exteriores ovatas superantibus. Wallr. Sched. crit. Tom. 1. p. 446.

monstrabant, nec unicum e permultis seminibus ab iis collectis postea germinavit. Floris figura

Cel. La Chenal in Helvetia in pascuis macilentiis ad Birsam trans fluentum inter pontem majorem et locum das Schänzlein dictum unico loco juxta dumeta legit non copiose et pro Carduo tatarico L. determinavit. Tam descriptio, quam icon exacte cum pl. Gottingensi convenient. Cell. Schweigger et Koerte, si Cnicus rigens Fl. Erlang. huc referendus, in colle prope die Wunderburg Fl. Erlangensis rarissime repertum adnotant. Specimen ab am. Zuccarinio prope Streitberg Fl. Erlang. lectum hujus loci videtur. Cel. Wallroth in pratis editoribus ad Rossleben et aliis agri Thuringiaci locis passim invenit. Hanc plantam a mea non esse diversam, cel. vir ipse affirmat. Mihi aestate 1823 in prato quodam procul via, a Gottinga ad pagum Rohringen ducente, cum amicō E. Meyer, J. Vahl et Girtanner magna copia obvius fuit et ob magnam ambiguitatem primo obtutu hybridam progeniem ex Cnico oleraceo et acauli ortam esse videbatur, etsi hunc nondum observaverimus. Mox autem in eodem prato hunc etiam invenimus, et quidem ubi major hybridorum copia erat, ibi praesertim oleraceo intermixtum. Iterum inveni hunc

inter Herberhausen et sylvam Gottingensem, ubi jam beatus Hallerus plantam supra citatam decerpit. Etiam cel. G. F. W. Meyer locis indicatis, nec non prope Harste, in confinio Gottingae pluribus abhinc annis eum legit.

Hybrida stirps polymorpha; non pauca ejus specimina Cnico oleraceo perquam similia, alia sensim sensimque acauli similiora et in eum transeunt, ita ut vix duo plane inter se conveniant.

**Caudex intermedius**, qui in Cnico oleraceo carnosus, fibrisque ejusdem substantiae firmatus; — in acauli validior; — in hybrido medium tenet inter utrumque et pro speciminum diversitate oleraceo vel acauli est similior. **Caulis** in oleraceo ad tres pedes et ultra sese elevans; — in acauli plerumque humillimus; — in hybrido ultrapedalis et eo altior, quo magis planta oleracei faciem induit. Plerumque supra basin vel e medio in ramos aliquot sese dissolvit, qui singulis calathidibus terminantur. **Folia**, quae in oleraceo plana pinnatifido-lyrata, inferiora in petiolum attenuata, superiora saepe amplexicaulia, laciniis in omnibus oblongis dentatis spinuloso-cilia-

tis; — in acauli pinnatifida, laciniis bilobis trilobisve, margine spinosis divaricatis; — in hybrido pinnatifida, laciniis plerumque minus profunde lobatis et divaricatis, spinisque minus pungentibus ac in acauli; in speciminibus oleraceo similibus subamplexicaulia, floralia plura aut linearia viridia ut in acauli, aut latiora pallescentia ut in oleraceo. **I n v o l u c r u m**, quod in oleraceo cylindraceo - ovatum subaequale, foliolis exterioribus anguste lanceolatis, mucrone terminatis laxis, saepe tenuiter arachnoideis, interioribus linearibus margine membranaceis; — in acauli fere ejusdem formae, at basi parum ventricosum, rarius bractea una alterave linearis suffultum, arcte imbricatum, squamis glaberimis, exterioribus lanceolatis acutis, apicibus parum divergentibus, interioribus linearibus, margine membranaceis, omnibus versus apicem serrato - ciliatis; — in hybrido modo huic, modo illi similius. **R e c e p t a c u l u m** in **Cnico oleraceo villosum**, villo fere semiunciali; — in acauli vix longitudinem duarum linearum excedente; — in hybrido fere ut in oleraceo. **P a p p u s** hybridii ut in parentibus plumosus. **F l o s c u l i** in oleraceo ochroleuci, in acauli purpurei; in hybrido ochroleuci; an-

therae in hoc semper fere purpurascentes. Pauca tamen specimina observavi et quidem ea, quae statura partiumque forma acauli simillima, et nonnisi foliis in petiolum non attenuatis spinisque mollioribus ab eo diversa erant, flosculis pallide purpureis. — Haec hybrida stirps semina perficere videtur.

Sub nomine Cnici rigentis in ditissimo cel. G. F. W. Meyeri herbario specimen vidi a cel. Wahlenbergio in Oelandia lectum, quod est *Cnicus acaulis*  $\beta.$  *caulescens*, quam varietatem pluries in Hassiae inferioris locis umbrosis aliquique, sed non in consortio *Cnici oleracei* legi. Caveas igitur ne cum hybrido supra descripto hancce *Cnici acaulis* varietatem confundas, quae floribus intense purpureis, spinis foliorum validioribus, habitu *Cn. oleraceo* nunquam approxinante ab illo hybrido differt.

## 12. CNICUS TUBEROSO-OLERACEUS.

*CIRSIUM RIGENS* Reichenb., foliis sessilibus pinnatifidis utrinque hirsutiusculis, laciniis lanceolatis divaricatis bi - trifidis spinulosociliatis, calycibus subbracteatis solitariis nudis,

squamis lanceolatis erectis. Spr. Neue Entd.

Vol. 3. p. 38.

**CIRSIUM BULBOSUM**  $\beta.$  **PALLENS**, laciniis foliorum oblongis bi-trilobisve, corollis pallentibus Wallr. Sched. crit. 1. p. 445.

Cel. Sprengel in consortio Cnici tuberosi et oleracei, prope Halam, ad nemusculum Sebense et Klein Döllnitz lectum et a cel. Reichenbachio Cirsii rigentis nomine insignitum refert. Deinde et cel. Wallroth inter Roitsch et Brehna utriusque parenti consociatum invenit et ex eorum connubio ortum autumavit. Evidem unicum tantum specimen vidi, in prato Sebensi a cel. Wallrothio lectum mecumque benevole communicatum.

**Caudex intermedius** oblique descendens ut in Cnico tuberoso, fibris crassis firmatus. **Caulis** bipedalis foliosus striatus hirsutiusculus, apice tomentosus et in ramulos nonnullos breves, calathidibus singulis terminatos, divisus. **Folia** pinnatifida, laciniis bi-trilobis, linea rachidi parallela decurrentibus ut in Cn. tuberoso, latioribus ac in hoc, angustioribus ac in Cn. acauli-oleraceo; cau-

amplectentia, florale, quod calathidem inferiorem fulcit, pinnatifidum. Pappus pilis annulo affixis et cum eo secedentibus, fere ut in oleraceo, nec ut in tuberoso annulo semini arctius adhaerente. Semina matura non vidi.

Hujus Cnici etsi unicum solummodo specimen viderim, tamen ob magnam ambiguitatem inter oleraceum et tuberosum, et quod, ut videtur, semper cum iis simul inventus sit, hic, enumerare non dubitavi.

### 13. CNICUS PALUSTRI - OLERACEUS.

*CIRSIUM HYBRIDUM* Koch in DC. Fl. fr. n. 3072<sup>a</sup>.

Anno 1809 cel. Koch specimen unicum cum parentibus legit ad viam regiam prope Kaiserslautern, dein aestate 1824 specimina duo, item parentibus consociata, prope Erlangam. Cel. Bartling in prato quodam prope Diemarden Fl. Gotting. unicum specimen cum parentibus. Eadem aestate etiam prope Monachium ad Isarae ripas lecta sunt aliquot specimina cum parentibus a viris cell. et amicc. de Schlechtendal, filio, et Zuccarini. Ab omnibus hisce, qui stirpem invenerunt pro hybrida agnita est. Vidi spe-

cimina prope Kaiserslautern, Erlangam, Gottingam et Monachium lecta, ab inventoribus mecum benevole communicata, quae omnia habitu inter se perquam similia sunt.

Caulis bi- ad tripedalis sulcatus hirsutiusculus plerumque jam infra medium in ramos divisus, insuper apicem versus in ramulos ut plurimum brevissimos solutus. Folia, quae in Cn. oleraceo basi dilatata sessilia, in palustri decurrentia; — in hoc hybrido basi dilatata semidecurrentia (in specimine Gottingensi sessilia) pinnatifida, laciniis grosse serratis, margine molliter spinulosis, apice plerumque bilobis, floralia pinnatifido-lanceolata, viridia, multo majora ac in palustri, angustiora ac in oleraceo. Calathides aggregatae minores ac in oleraceo, maiores ac in palustri. Involucri foliola inter parentes ambigentia. Floresculi ochroleuci saepe rubidine aliqua tincti. Antherae violaceae. Semina an perficiat, nescio.

#### 14. CNICUS PALUSTRI-RIVULARIS.

In pratis humidis prope pagum Mosach in confinio Monachii non infrequentem legi in

Zuccarini et Drège. Specimina occurrunt maxime inter se discrepantia, nam modo sunt Cnico palustri similia, modo rivulari, nec desunt quae ita medium inter utrumque tenent, ut neque ab hoc, neque ab illo majorem similitudinem nacta dici possint.

**Caudex intermedius** in hybrido, ut in parentibus, carnosus praemorsus plerumque excavatus, radicibus filiformibus firmatus. **Caulis** in Cnico palustri a basi ad apicem foliosus erectus simpliciusculus vel ramosus, numerosis calathidibus in spicae formam congestis terminatus; — in rivulari erectus simplex apice subaphyllus et tomentosus, calathide una vel saepius pluribus ad quinque, in capituli formam congestis, terminatus; — in hybrido erectus simpliciusculus, apice minus tomentosus ac in Cn. rivulari, saepe strictus ut in palustri, calathidibus duabus ad octo aggregatis subsessilibus terminatus. **Folia** in Cn. palustri haud profunde pinnatifida, laciniis sursum praesertim dentatis spinosis, per totum caulem decurrentia, substantia decurrente margine spinis validioribus praedita; — in Cn. rivulari pinnatifido-lvata, laciniis sursum

et deorsum dentatis spinuloso-ciliatis, amplexicaulia nec decurrentia; — in hybrido pinnatifida, laciniis angustis sursum praesertim dentatis lobatisve, magis minusve decurrentia, marginibus decurrentibus tamen folium proximum non attingentibus. *Calathis* in palustri multo minor ac in rivulari; — in hybrido modo huic, modo illi magnitudine similior. *Involucris* foliola, quae in palustri lanceolata, durioris structurae et spinulis terminata; — in rivulari lanceolata acuminata spinis destituta; — in hybrido rigidiora sunt ac in rivulari, spinulis minus pungentibus ac in palustri. *Pappus* hybridus ut in parentibus. *Flosculi* maiores ac in palustri, minores ac in rivulari. *Semina* non vidi.

### 15. *CNICUS PALUSTRI-TUBEROSUS.*

Hujus specimina quaedam, quae statim pro hybrida progenie agnovimus, cum parentibus legi una cum amic. Zuccarinio, aestate 1821, in insula quadam fluminis Isar prope Monachium. Dein uterque nostrum omne ejus

1824 ille unicum specimen denuo invenit in parentum consortio.

**Caudex intermedius**, qui in **Cnico palustri** brevis crassus interne saepius excavatus, radicibus numerosis filiformibus firmatus; — in **tuberoso** tenuior tenacior oblique descendens, radicibus, vel si mavis, tuberibus digitī minoris crassitie instructus; — in **hybrido** crassus, radicibus numerosis non filiformibus, ut in **palustri**, nec tam crassis ut in **tuberoso**, sed a basi et apicibus medium versus incrassatis, filii emporetici crassitie, instructus. **Caulis**, qui in **Cnico palustri** strictus ut plurimum simpli-ciusculus tripedalis et altior, apice vix tomentosus, calathidibus in spicae formam collectis terminatus; — in **Cnico tuberoso** plerumque sesquipedalis, vel simplicissimus uniflorus, vel saepius in ramos aliquot valde elongatos fastigiatos subaphyllos, superne tomentosos unifloros, partitus; — in **hybrido** vegetus, fere tripedalis, a medio ramosus. Rami foliosi superne tomentosi superiores fastigiati, calathidibus tribus ad quatuor breviter pedunculatis terminantur. **Folia**, quae in **Cn. palustri** parum profunda sinuata de laciniis marginis cuneis

per totum caulem decurrentia, substantia decurrente spinis validioribus instructa; — in *Cn. tuberoso* profunde pinnatifida, laciniis lobatis linearibus margine spinulosis, non decurrentia; — in hybrido profunde pinnatifida, laciniis linearis-lanceolatis spinoso-ciliatis, semidecurrentia, substantia decurrente spinis validioribus instructa. *Calathis*, quae in *Cn. palustri minor* ac in *tuberoso*, in hybrido paene hujus magnitudinem attingit. *Involucrum*, quod in *palustri* foliolis constat lanceolatis ciliatis; in *tuberoso* his similibus at majoribus; — in hybrido foliolis constituitur iis *Cn. tuberosi* valde aemulis: haec in hybrido sicut in parentibus pilis arachnoideis sunt instructa. *Pappus*, cuius pili in *palustri* annulo insident et cum eo a semine decedunt; — in *tuberoso* annulo minus arcte sunt conjuncti; — in hybrido pilis constituitur, ut in *palustri*, cum annulo decidentibus. *Flosculi* in hybrido ut in parentibus purpurei. *Semina* non vidi.

## 16. CNICUS OLERACEO-RIVULARIS.

Jam quatuor et quod excurrit annos saepius

Florae Monacensis locis eum observavit cum parentibus consociatum. Dein et ego iisdem in locis magnam ejus copiam observavi, eamque fere ubique, ubi parentes copiose simul provenerant.

Stirps hybrida valde ambigua, nam alia eaque plurima specimina Cnico oleraceo, alia rivulari magis similia.

Caudex intermedius ut in parentibus crassus carnosus, radicibus filiformibus firmatus. Caulis, qui in oleraceo saepe ultra tripedalis simplex superne vix tomentosus, calathidibus pluribus terminatur; — in rivulari bipedalis, apice calathide una pluribusve instructus, superne albo tomento vestitur; — in hybrido inter utriusque magnitudinem ambigit et superne tomento vestitur minus denso ac in hoc. Calathides subsessiles aggregatae. Folia, quae in oleraceo pinnatifido - lyrata, laciniis oblongis mucronato - ciliatis, floralia ovato - lanceolata amplexicaulia pallide flavescentia; — in rivulari pinnatifida, laciniis linearis - lanceolatis mucronato - ciliatis, floralia parva linearis - subpinnatifida; — in hybrido pinnatifida caulina amplexicaulia, floralia lan-

ceolata integra magis minusve pallescentia. **I n v o l u c r u m**, quod in oleraceo constat foliolis viridibus; in rivulari praesertim exterioribus sphacelatis; — in hybrido foliolis brunnascentibus constituitur. **P a p p u s** ut in parentibus. **F l o s c u l i** in oleraceo ochroleuci antheris plerumque ejusdem coloris; in rivulari purpurei, in hybrido ochroleuci antheris purpurascensibus. **S e m i n a** hybridii non observavi.

\* \* \*

Huic stirpi hybridae similis est:

**C n i c u s p r a e m o r s u s** Michl, foliis auri-  
culato amplexicaulibus pinnatifidis, laciniis sub-  
integerrimis ciliato-spinosis, radicalibus indivisis  
**o v a t o - lanceolatis**, pedunculis erectis hinc inde  
**i n f l e x i s**, capitulis florum tribus ad sex ebractea-  
tis, calycibus glabris, apicibus squamarum  
spinosis patulis, radice fasciculata **p r a e m o r s a**.  
Michl, in Bot. Zeit. Jahrg. 3. 1820. p. 317.

Vidi specimen ab am. Fr. Braun Salisburgi  
lectum mecumque benevole communicatum,  
quod a planta supra descripta differt foliorum  
laciniis longioribus magis linearibus, calathide  
una alterave inflexa. An ideo hybrida stirps  
e Cnico oleraceo et Erisithale orta?

### 17. CNICUS ACAULI - TUBEROSUS.

Prope Moguntiacum cum Cnico acauli et tuberoso utroque copiosissimo hancce formam intermedium minime raram observarunt cell. viri Koch et Ziz. Ille in litteris ad me scriptis adnotat, specimina obvenire Cnico tuberoso magis accendentia, aliaque vix a Cnici acaulis varietate caulescente discernenda. Hanc stirpem a me nondum visam doleo.

## C E N T A U R E A.

### 18. CENTAUREA SOLSTITIALI - PANICULATA.

CENTAUREA HYBRIDA All. Fl. Ped. n. 593.

Habitat circa Augustam Taurinorum. Biennis.

En descriptio Allionii, cui, quum plantam non viderim, nil addere possum:

,, Singularem hanc Centaureae speciem primus animadvertisit cl. Bellardi, postmodum et ipse vidi inque horto colui. Una cum cl. hoc viro puto ex Centaureae solstitialis et paniculae connubio progenitam fuisse, atque idcirco hybridae appellatio eidem constituta est. Iis

autem locis crescit, nempe in clivis declivibus circa urbem, in quibus crescit utraque Centaurea. Habitum habet C. paniculatae eandemque altitudinem; folia similiter pinnata, sed ramea sunt linearis - lanceolata indivisa et decurrentia. Ramum quemlibet flos terminat paulo major quam in paniculata. Flos exquisite luteus esse solet, sed admixtos interdum habet flosculos purpurascens: squamarum cilia spinulas inermes luteas offerunt, sed longa valida acuta flava spina terminantur. Semina haec Centaurea perficit.“

### 19. CENTAUREA COLLINO-SCABIOSA.

Mense Junio an. 1822 cum amic. Eubel, prope Sessana, Carnioliae pagum, in Tergesti vicinio, unico solummodo loco, in prato quodam, una cum parentibus, frequentem eam observavi. Quam inter illos medium esse, ex descriptione patebit.

Caudex intermedius in hybrida ut in parentibus validus radicibus validis firmatus. Caulis in Centaurea collina sesquipedalem altitudinem raro superans, aliquot pollices supra basin plerumque in ramos nonnullos sim-

plices divisus; — in *Centaurea Scabiosa* ultra bipedalis supra medium in ramos divisus; — in *hybrida Scabiosae* altitudinem saepe attinens, infra medium in ramos solutus. **Folia**, quae in collina decursive bipinnata, pinnulis anguste linearibus acutissimis denticulato - serratis; — in *Scabiosa decursive bipinnata*, pinnulis lineari - lanceolatis, multo latioribus ac in priore, serratis vel integerrimis; — in *hybrida omnibus partibus inter utramque ambigentia*; in speciminibus *Scabiosae* magis similibus, latiora; in speciminibus collinae appropinquantibus, angustiora. **Calathides** in collina minores ac in *Scabiosa*; in *hybrida* medianum tenent magnitudinem. **Involutrum** in collina constans foliolis pallide viridibus, exterioribus spina terminali longitudinem foliorum attingente vel superante ciliisque ex fusco pallide - lutescentibus obsitis, interioribus oblongis membrana fissa terminatis; — in *Scabiosa* foliolis ovatis nigro ciliatis, spina terminali destitutis; — in *hybrida* foliolis ovatis ciliis ex nigrescente fuscis praeditis, spina terminali brevi nigrescente. **Pappus**, quem in collina observavi brevissimum, lineam vix superantem; in *Scabiosa trilinearem*; in hy-

brida bilinearis. *Flosculi* in collina aurei, in *Scabiosa* profunde purpurei, in *hybrida* sordide lutescenti-purpurascentes. *Semina* stirps *hybrida* perficere videtur, etsi matura haud viderim.

In hortis botanicis sub nomine *Centaureae sordidae* occurrit planta huic, praesertim quoad flosculorum colorem, admodum similis, quae, nisi eadem, alia tamen *hybrida* progenies esse videtur.

## G A L I U M.

### 20. GALIUM VERO - MOLLUGO.

*G. VERUM*  $\beta.$  floribus ochroleucis minus odoratis, caule subtomentoso, foliis latioribus.  
Schult. syst. v. 3. p. 233.

Cel. Wallroth (Sched. crit. 1. Addend. p. 503.) formas hybridas a Galio vero, patre, et *G. Mollagine*, matre, invenisse affirmat, quae inter verum ita ambigant, ut eodem jure ad id quam ad illud revocari possint. Ego aestate an. 1823, antequam de planta Wallrothiana audiveram, iuxta quodam sylvatico prope Hessentreisch

in Gottingae confinio, Galio vero et Mollugini, in hocce loco frequentissimis, associatum, quod ex harum specierum connubio ortum puto.

Caudex intermedius in hybrido ut in parentibus repens. Caulis in Galio vero erectus, in omnibus speciminibus, loco indicato mihi obviis, strictus, obsolete quadrangulus pubescens, ramis paniculatis erectis; — in Galio Mollagine debilis saepe decumbens acute quadrangulus glaberrimus, ramis paniculatis diffusis; — in hybrido debilis fere ut in Mollagine, obtuse quadrangulus pubescens, ramis diffusis. Folia in Galio vero linearia margine reflexa utrinque pubescentia erecto-patentia; — in Mollagine obovato - oblonga mucronata utrinque glaberrima, superne lucida, inferne opaca, horizontalia, ad lentem serrulata, in recente planta plana et statu sicco solummodo margine reflexa; — in hybrido linearia parum latiora ac G. veri, margine reflexa, utrinque pubescentia, superne quodammodo lucida, patentia. Flores in Galio vero lutei valde odorati; in Mollagine odore fere destituti albi; in hybrido ochroleuci magis odori ac in hoc. minus ac in illo. Semina matura

in hybrido non vidi; attamen nonnullos fructus post anthesin observavi.

Galii veri facile varietatem haberet; sed differt ab hoc floribus ochroleucis minus odoratis, in paniculam diffusam dispositis, caule laxiore, foliis parum latioribus. E longinquo pro Galio Mollugine potius haberet, a quo sufficienter differt foliorum margine reflexo nec serrato, et pubescentia, qua omnia, quae indagavi Molluginis specimina loci indicati, penitus carent.

## R A N U N C U L U S.

In hoc etiam genere hybridae sponte occurtere videntur, quamvis nullam adhuc pro certo indicare possum. Interea, ut observatores in hanc rem indagarent, eorum Ranunculorum, quos hybridos esse suspicor, hic meminisse juvabit.

De Ranunculi sui n. 1180. (sive pyrenaei L.) varietae  $\beta$ . beatus Haller in Hist. st. Helv.: „non possum, inquit, ab illis separare Ranunculis plantam rarissimam, cuius exempla cl. Ricou in monte Mille supra vallem de Bagnes

culi n. 1180. et Aconiti folii n. 1164. nata vi-  
deri, si ista ad summas alpes adspiraret. Sed  
est potius per insignis varietas Ran. 1180.“

Cel. Villars (Hist. d. pl. d. Dauphiné T. 3.  
p. 733.) *Ranunculi pyrenaei* varietatem C.,  
foliis plantaginis laceris furcatisque, non raram  
esse in Delphinatu, affirmat, et lectam a cl.  
Chaix à la Granette prope Gap. Plantam pro-  
venire in summis alpibus, si autem in prata  
earum fertilia descenderet, degenerare. Vidisse  
eam à Charoze foliis diametro transverso lon-  
gitudinem aequante, quae apice quasi monstrosa  
dilacerata fuissent. Haud dubitat, eandem esse  
ac Halleri.

Ludovicus Bellardi in Appendice ad Floram  
Pedemontanam (Mémoires de l'Acad. de Turin.  
Vol. 5. Tur. 1793.): „*Ranunculum lacerum*,  
foliis radicalibus petiolatis cuneiformibus lace-  
ris, apice multifidis, caulinis semiamplexicaul-  
ibus laciniatis, summis sessilibus linearibus,  
caule laevi ramoso“ tanquam novam speciem  
proposuit, Hallerique et Villarsii plantas, su-  
pra memoratas, pro synonymis affert. Lectam  
esse a cl. Viale in pratis summarum alpium Li-  
monensium, locis humidiusculis. „Non im-

merito, inquit, summus Hallerus potuit dubitare, esse plantam hybridam natam ex Ranunculo aconitifolio et pyrenaeo, si R. aconitifolius summas alpes habitaret.“ Itaque hybridam esse, auctor respuit.

Hanc Bellardii plantam, aut potius plantam a Bellardiana parum diversam, Villarsius in Mém. sur quelques pl. hybr. p. 192. inventam refert per cel. Chaix ad mapalia montana; deinde sua sponte ortam in horto botanico Gratianopolitano prope R. pyrenaeum L.

Ranunculos, in locis laudatis modo memoratos, in unam speciem sub nomine R. laceri collegit cel. Candolle in syst. nat. 1. p. 242., quam hybridam omnino ei videri affirmat.

Alium ipse ego in hortis saepe observavi Ranunculum (R. lacerum H. Gott., R. frigidum H. Monac.) illi Candollii, praesertim quoad folia, similem, sed ab eo recedentem caule altiore, magis ramoso, floribusque non albis sed pallide sulphureis.

Postremo meminerim Ranunculi Linguae varietatis laciniatae apud Nocciam et Balbisium

Schlechtendalii Animadv. in Ran. 1. p. 17. novi,  
ubi plura de eo videas.

Conveniunt cuncti Ranunculi supra memo-  
rati foliis apice tanquam monstrose laceris, ita  
ut ex specie alia integrifolia, alia foliis dissectis  
praedita, non sine aliqua veritatis specie ortos  
esse autumarentur. Accedit, quod cuncti ra-  
nunculi hucusque sunt observati.

## D R O S E R A.

### 21. DROSERA ROTUNDIFOLIO-ANGLICA.

Amicissimus vir Zuccarini, cui tot obser-  
vations in plantas hybridas debeo, anno prae-  
terito prope Hindelang, in monte Vorderjoch  
Bavariae alpinae, nonnulla legit Droserae spe-  
cimina, ita ambigentia inter rotundifoliam et  
anglicam, quibus associata proveniebant, ut  
inventoris sententiae de ambigena earum ori-  
gine libenter assentiam. Sicca hujus plantae  
vidi specimina, quorum caulis erectus ut in  
parentibus, nec ascendens ut in Dr. longifolia.  
Folia spathulata, latiora ac in anglica, eviden-  
tius in petiolum attenuata ac in Dr. rotundi-

folia. Partes fructificationis in planta siccata  
examinare non mihi licuit.

## P O T E N T I L L A.

### 22. POTENTILLA FRAGARIASTRO- ALBA.

**P. HYBRIDA** Wallr. caulis procumbentibus  
foliis radicalibus 3 — 4natisve, foliolis ob-  
ovato - oblongis, apice infraque illum conni-  
venti serratis supra glabriusculis subtus glau-  
cescentibus sericeis, laciniis calycinis ovatis  
acuminatis, petala obcordata aequantibus.  
Wallr. Sched. crit. n. 220.

Inter virgulta rechts von der Steigerthäl-  
schen Mittelmühle in Potentillae Fragariastri  
et albae consortio. Majo. Wallr.

Quum planta mihi nondum visa sit, integrum  
cel. inventoris descriptionem afferre opti-  
mum duxi:

„Forma memoratu dignissima, et in Poten-  
tillarum historia et in totius rei herbariae cogni-  
tione haud satis celebranda et perpendenda, inter  
P. alba et P. fragariastri intermixta ut

habitus externi, foliorum fabricae et figurae ratione jam huic, ex qua patre, jam illi, ex qua matre orta est, tam similis existat, ut vix nisi foliolorum numero et figura, in utraque specie acute distinguenda, dignosci possit. Eximum profecto stirpes hae offerunt plantarum hybridarum exemplum, quo cum aliarum plantarum cognitio formis similibus at difficilius eruendis implicita illustratur meaque de illis opinio confirmatur. Plantae singulae succincte describi nequeunt: vacillant enim inter utramque speciem, ex qua ortae sunt et nunc ex hac nuncque ex illa majorem arripuerunt similitudinem. Stirps hybrida enim radicem lignosam, pro planta validam, protensam, habitum foliorumque figuram generalem, serratarum conniventium indolem, lacinias calycinas, corollam a P. alba, pilos, quibus facies foliorum prona magis minusve pubescit, pubem petiolorum patentissimam, receptaculi acheniorumque indolem, tempus florescendi a P. **Fragariastro** mutuavit. Inter illa vero specimen, praeter foliolorum numerum ternarium, ad unguem P. albam referentia, alia passim occurrunt, habitu externo ad P. **Fragariastrum** proprius accedentia, quae pubem aliquam in

foliorum ad figuram obovatam proclivium, pagina superiore induere incipiunt. Tanta autem partium mutabilitas et inter utramque speciem ambiguitas, minime varietates, sed potius formas hybridas proferunt, revera intermedias, eodem jure ad hanc quam ad illam relegandas, quae citra speciei dignitatem, illam quidem fungunt, me tamen judice nunquam recuperant et, quamvis ab auctoribus pro speciebus distinctis declarentur, aptius ad parentes rejiciuntur.“

## G E U M.

### 23. GEUM URBANO - RIVALE.

*G. HYBRIDUM* Ehrh. in herb. G. F. W. Meyeri (non Wulf.).

*G. INTERMEDIUM* Ehrh. Folia interrupte pinnata. Flores subnutantes. Perigonia patentia (nec conniventia, nec reflexa). Petala subrotundo - obovata, unguiculata. Germina pilosa: arista nuda uncinata. Stylus pilosus. Fructus pedicellatus. Ehrh. Beitr. B. 6. p. 143. foliis radicalibus interrupte pinnatis, caulinis ternatis trilobisque, floribus cernuis, calyce ali longiore aristis primum inflexo geni-

culatis plumosis, dein uncinatis. Schlechtend.  
Fl. Berol. p. 285.

**G. RIVALE**  $\beta.$  floribus flavis. Sm. Fl. Brit. 1.  
p. 555.

**G. URBANUM**  $\beta.$  Sm. Engl. Fl. 2. p. 429.

Beatus Ehrhart jam an. 1783 hanc stirpem prope Hannoveram legit et, ut ex speciminibus illo anno lectis, in cel. G. F. W. Meyeri herbario ditissimo asservatis patet, nomine Gei hybridii insignivit; deinde sub nomine intermedii divulgavit. Florae Berolinensis auctores et recentissimus inter eos Schlechtendal, in umbrosis humidis sylvarum et nemorum rarius, e. g. im Thiergarten, legerunt. Ex quo loco specimen habeo ab amic. Laffon, qui Geo urbano et rivali rarius intermixtum observavit. Cel. Smith in priore Florae Brit. editione tanquam varietatem Gei rivalis enumerat et hybridum esse, patre urbano, autumat: in posteriore pro urbani varietate habet nec pro hybrido.

Caudex intermedius in Geo urbano fere perpendicularis, praemorsus; — in Geo rivali horizontalis et multo longior; — in planta hybrida, saltem in specimine Berolinensi (in Ehrhartianis radix deest), primum hori-

zontalis; tum descendens praemorsus. **Caulis**, qui in **Geo urbano** saepius bipedalis et altior; — in rivali plerumque humilior; — in hybrido altitudinem urbani attingit. **Folia**, quae in **Geo urbano**, radicalia interrupte pinnata, caulina ternata trilobave, stipulis magnis rotundatis incisis suffulta; — in **Geo rivali** radicalia itidem interrupte pinnata, pinna terminali majore, caulina terna vel triloba, stipulis bi-seu trifidis acuminatis minoribus; — in hybrido, radicalia interrupte pinnata, pinna terminali majore, caulina **Geo urbano** similiora, stipulis ut in hoc rotundatis incisis suffulta. **Flores** in **Geo urbano** erecti, calycibus reflexis viridibus, petalis luteis calyce brevioribus; — in rivali nutantes maiores, calycibus erectis atrorubentibus, petalis calycem aequantibus purpureo-lutescentibus, venis profunde purpureis percursis; — in hybrido subnutantes, **Geo urbano** saepius duplo maiores, calycibus patentibus, basi rubore aliquo tinctis, petalis luteis venis purpureis percursis, calycem paene aequantibus. **Carpella**, quae in **Geo urbano** parcus et praesertim inferne et secus marginem rostri superiorem pilosa, arista longiora, — in rivali longiora, magis

pilosa, arista longiore plumosa; — in hybrido minus hispida ac in *G. rivali*, magis autem ac in urbano, arista minus evidenter plumosa ac in illo. Semina haec hybrida maturare videtur.

# PROPOSITIONES EX OBSERVATIS COL- LECTAE.

I. Plantae hybridae etiam sua sponte oriuntur. Quamvis ex observationibus supra allatis haec propositio per se patere videtur, tamen ostendam, etiam theoriae haud repugnare. Si generationem hybridam artificialem satis probatam censere licet, facile est intellectu, et spontaneae nil obstare. Sunt enim conditiones generationis hybridae, ut ex Koelreuteri experimentis patet, praecipue, tum arctior parentum affinitas, tum pollinis ad stigma alterius plantae accessus. Plantae magis affines autem etsi saepius in hortis, tamen non raro etiam in sylvis arvisque sociales crescunt multoquo communiter constructure sunt.

ut pollinis alieni accessus minime impediatur. Si autem plantae hybridae sponte oriri possunt, nemo inficias ibit, plantas supra enumeratas revera esse hybridas. Omnes enim observatae sunt in consortio specierum duarum affinium, inter quas intermediae erant, una forsitan excepta et idcirco adhuc dubia<sup>24)</sup>). Plurimae erant steriles et quaedam inter eas nullo alio modo, sicut bulbillis gemmis viviradicibus stirpem propagare poterant. Nonnullae denique simillimae erant plantis hybridis a Koelreutero arte productis ex iisdem parentibus, ex quibus etiam spontaneae ob earundem consortium profectae videntur.

II. Plantae hybridae nec aliarum specierum varietates sunt, nec species peculiares, sed proprium constituunt ordinem. Cum de speciebus plantarum tantum inter se dissentiant botanici, ut alii eas intra certos fines semper sibi constare existiment, alii fines istos negent, necesse erit, ut in utramque partem seorsim agamus. Primo igitur, etiam si quis negat, distinctas esse plantarum species, nihilo-

minus maximum illud discrimen, quod inter varias plantarum formas aut ex hybrida generatione aut ex locorum dissimilitudine ortas intercedit, minime poterit negligere. Deinde autem qui affirmant, ii plantas hybridas aut pro varietatibus aut pro speciebus habere possent. Sed varietates ea de causa esse nequeunt, quia, si fertiles sunt (etiamsi a mascula parte impotentes), non intra unius speciei fines manent, sed ab una ad alteram transeunt, si steriles, inter duas species intermediae transeunt ad neutram. Species etiam esse nequeunt, quia, si fertiles, formas suas propagando non servant, sed a parentibus in vicinio degentibus foecundatae, paulatim harum formis appropinquant; si steriles, saepe stirpis propagandae facultate carent. Sunt quidem et verae species, natura sua steriles; hae autem sive bulbillis sive viviradicibus aliove modo sese propagant, quae saepe in hybridis sterilibus, e. g. in Verbascis, desiderantur.

III. Ex generatione hybrida novae species non proficiuntur. Nota est Linnaci opinio de novarum specierum

propositione praecedente probasse mihi videor, plantas hybridas non esse species, ex quo sequitur, nec novas species ex generatione hybrida posse oriri. Accedit, quod eadem formae plantis hybridis propriae nusquam alibi, quam in vicinio earum plantarum, quas pro parentibus habeo, nec ullibi latius sparsae observantur. Stachys quidem nostra palustri-sylvatica in Scotia minime raram esse fertur, sed hanc ipsam ob causam mihi adhuc dubia est.

IV. Plura argumenta contra originariam et constantem specierum diversitatem, simulatque plantas hybridas agnoveris, evanescunt. Ii enim, qui species constantes esse negarunt, argumentis tum e philosophia tum ex experientia usi sunt. Illa transeo, haec vero, si plantas hybridas sponte ortas rite cognoveris, et ex legitimarum specierum numero excluseris, ni prorsus dirimantur, tamen valde debilitantur. Plura enim plantarum genera, in quibus prae reliquis species aegre distinguuntur, e. g. Cnicus, Verbascum aliaque, quae ad generandas hybridas videntur proclivia, ita ut observatores inde decepti, hybridas pro speciebus intermediis sae-

V. Koelreuteri experimenta de generatione hybrida summi momenti sunt ad sexum plantarum probandum; nam, quae contra attulerunt adversarii, spontaneo hybridarum plantarum proventu refelluntur. Hybrida plantarum generatio validissimum semper ratum est pro sexu plantarum argumentum. Nuper rime tamen objecerunt, plantas illas, quibuscum Koelreuter experimenta sua fecisset, et cultas esse et mutilatas, quare, quae ex illis provenerint, monstrosas non hybridas fieri oportuisset. Si vero eaedem plantarum formae, quas Koelreuter per foecundationem artificialem obtinuit, sua sponte proveniunt, nec culturam nec mutilationem jure quis accusabit, sed veram formarum transmutationis causam in generatione hybrida agnoscere erit coactus.

Sufficient haec. Plura, quae ex observationibus allatis sequi videntur, sicut etiam plures observationes in posterum, ni haec displicant, referre mihi servo.